

Ubi autem propter loci augustiam et populi accursum ne per ecclesiam quidem possit ea pompa commode duci, indulgemus, ut, per interiorem ecclesiæ ipsius ambitum, sacerdote cum clericis piæ supplicationis causa circum-eunte, Sodales, qui adstant, indulgentiis omnibus frui possint eidem supplicationi adnexis.

## XV

Privilegium Missæ votivæ sacratissimi Rosarii, Ordin Prædicatorum toties confirmatum (8), servari placet, atque ita quidem ut non solum Dominiciani sacerdotes, sed etiam Tertiarii a Pœnitentia, quibus Magister generalis potestatem fecerit Missali Ordinis legitime utendi, Missam votivam *Salve Radix Sancta* celebrare possint bis in hebdomada, ad normam decretorum S. Rituum Congregationis.

Ceteris vero sacerdotibus in Sodalium album adsitis, ad altare Sodalitatis tantum Missæ votivæ celebrandæ ius esto, quæ in Missali romano pro diversitate temporum legitur, iisdem diebus ac supra et cum iisdem indulgentiis. Harum indulgentiarum sodales etiam e populo participes fiunt, si ei sacro adstiterint, culpisque rite expiatæ vel ipsa confessione vel animi dolore cum confitendi proposito, pias ad Deum fuderint preces.

## XVI

Magistri generalis cura et studio, absolutus atque accusatus, quamprimum fierit potest, conficiatur index Indulgentiarum omnium, quibus romani Pontifices Sodali-

(8) Decr. S. C. Rit., die 25 Iun. 1622 ; — Clemens X *Cœlestium munera*, die 16 Febr. 1671 ; Innocentius XI *Nuper pro parte*, die 31 Jul. 1679, cap. X. nn. 6 et 7 ; Pius IX in *Summarium Indulg.*, die 18 Sept. 1862, cap. VIII, nn. 1 et 2.